

limitationem Eugubinae notat *Benedictus XIV.* in cit. instii. 107. §. 3. At de Casertana loquens, non omnibus eam Coadjutoribus absolute adversari notat *Ursaya* in dict. discept. 17. num. 11. tom. 6. pari. 2., sed iis tantum, qui substituere volunt Canonicum diversi ordinis, ut in illius casu, in quo vices Archidiaconi suppleri praetendebantur ab uno ex Canonicis et sic a Ministro diversi ordinis.

Dubium est.

An et quomodo Canonico Coadjutori Staccoli liceat substituere alterum Canonicum ad servitium chori in casu?

S. C. resp.: Affirmative ex gratia, attentis peculiaribus circumstantiis et juxta votum Archiepiscopi.

Die 21. Junii et 12. Julii 1794.

In Spoletana 28. Febr. 1795 cum quaesitum esset in II. dubio: An et quomodo Canonicus Coadjutor alium substituere possit in chorale servitium?

S. C. resp.: Negative.

(Ex resol. diei 21. Maji 1803. *Spoletana.*)

5) Sacerdotis in celebr. Missae.

Ad dub.: An Capellani, impediti per se ipsos celebrare missam fundatam vel potius Officiales et Governatores domus debeant substituere Sacerdotes missam celebrantes?

Die 14. Aprilis 1725 ad III. *Neapol.* Cf. *Incompat.*

Vd.: *Stipend. pro miss. benefical. Applic. missae paroch. pro populo. Missa (applicat. a Paroch. etc.)*

SUBVENITE.

Ad dub.: An R. Subvenite, in quo duo sunt asterici in Exequiis, dici debeat quoad repetitiones ad normam R. Libera me Domine et aliorum, qui duos habent astericos juxta regulam per decretum diei 6. Septembris 1834

in Lauretana statutam? Vel potius per exceptionem ad regulam communem prima repetitio post V. Suscipiat, fieri debeat a primo asterisco ad secundum V. uti praescribitur in hoc R. sub titulo in expiratione?

S. C. resp.: Dicendum ut in Rituali titulo de expiratione.

Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. II. Serie 1857 p. 2198.)

SUDARIUM.

Licentia aspiciendi.

Facultas cominus aspiciendi sudarium sanctae Veronicae et lanceam, qua latus Domini Nostri Jesu Christi in cruce pendentis adaptum fuit, tributa Sebastiano Josepho Hispaniarum Infanti et ejus uxori.

Dilectis filiis

Archipresbytero, Capitulo et Canonicis Basilicae Principis Apostolorum de urbe.

Gregorius PP. XVI.

Dilecti filii

Salutem et apostolicam Benedictionem.

§. 1. Ut dilectissimus in Christo filius Noster Sebastianus Infans Hispaniarum ejusque uxor sudarium s. Veronicae, cui impressa est imago vultus Domini Nostri Jesu Christi, vultum sanctum vulgo nuncupatum, nec non lanceam, qua latus ejusdem Domini Nostri Jesu Christi in cruce pendentis apertum fuit, pro eorum devotione cominus aspiciere et venerari valeant, vobis tenore praesentium mandamus, quatenus si et quando a praedictis conjugibus super his fueritis requisiti, sudarium seu vultum sanctum et lanceam hujusmodi, quae in Basilica Principis Apostolorum de urbe asservantur, e tabernaculo seu tabernaculis, ubi nunc reperiuntur collocata, usque ad fores, per quas e basilica praefata ad odeum, in quo tabernaculum seu tabernacula hujus-

modi existunt, datur accessus, ea eisdem conjugibus ostendatis.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non dictae Basilicae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem 14. Julii 1835.

(Bull. r. Contin. t. XX. pag. 74. Ed. Romae.)

SUFFRAGANEUS.

1) Accessus ad Ecclesiam.

Non teneri Dignitates et Canonicos obviam ire Suffraganeo usque ad ejus cubiculum, sicut proprio Archiepiscopo, sed satis esse, si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiae et dignior ei aspersorium porrigat eumque usque ad altare vel locum ad celebrandum associent. Num. 354 die 1. Septembris 1607.

Sufficere aliquos ex Canonicis Suffraganeum ad portam Ecclesiae recipere, quorum dignior Aspersorium porrigat. N. 701 ad 3. die 7. Augusti 1627.

Possunt de licentia Cardinalis Decani Episcopi Ostiensis et Veliterni deferre cappam et in hoc casu tenentur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiae et dignior porrigat ei Aspersorium, quo Suffraganeus se ipsum tantum aspergat et pariter eum associent in reditu usque ad eundem locum. Num. 3491 ad 1. die 6. Septembris 1698.

2) Administrator.

Vd.: *Concionator (bened.); Episcopus Administr.*

3) Archiepiscopum solemn. excipit.

Suffraganeus debet Archiepiscopo solemniter incedenti in suam urbem processionaliter obviam ire. N. 101 die 10. Januarii 1597.

4) Celebrans.

Vd.: *Episcop. Administr. (Ministri etc.) Diaconi assist. Episcopi Administr.; Sedes Episcopi Suffrag.*

(Assistentes et Ministri.)

Teneri Canonicos et Dignitates Episcopo Suffraganeo assistere, quoties Ecclesiam reconciliat vel similes functiones episcopales nomine proprii Archiepiscopi exercet. Num. 235 die 21. Februarii 1604.

Episcopum Suffrag. in Eccles. *Metropolitana* solemniter celebrantem (sine mandato Archiepiscopi) contentum esse debere Ministris solitis, id est, Diacono, Subdiacono ac uno Capellano cum Pluviali, qui ei assistat ad librum. N. 310 die 9. Maji 1606; n. 701 ad 2 die 7. Aug. 1627.

Suffraganeum, solemniter celebrantem non debere sedere in sede archiepiscopali, sed in faldistorio in cornu Epistolae locando; nec debere uti baculo pastoralis, nisi quando tenuerit Ordinationes vel alias functiones fecerit, in quibus juxta regulas Pontificalis uti debet et necesse est; nec debere habere assistentiam duorum Canonicorum praeter Diaconum et Subdiaconum, qui erunt cantaturi in missa Evangelium et Epistolam; sed satis esse, si praeter Diaconum et Subdiaconum ei unus ex Dignitatibus vel Canonicis assistat ad librum Pluviali indutus. N. 354 die 1. Septembris 1607; n. 310 die 9. Maji 1606.

Celebrante Suffrag. non omnes Dignitates et Canonicos teneri, *sacra paramenta* accipere, sicut tenentur ce-

lebrante Archiepiscopo; sed praeter Ministros supradictos, alios omnes assistere debere in habitu ordinario canonicali. *Ut supra.*

In functionibus, quas exercet Suffraganeus vel alius Episcopus delegatus a proprio Archiepiscopo, velut in Ordinationibus Clericorum, in consecrationibus et reconciliationibus altarium, ecclesiarum, coemeteriorum et in similibus Dignitates et Canonicos teneri assistere Suffraganeo in habitu canonicali, quando legitime non erunt impediti et ex eis sacra sumere debere paramenta tot Dignitates et Canonicos, quot necessarii erunt juxta Rubricas Pontificalis et formam actus, quem Suffraganeus exercet. *Ut supra.*

5) Incensatio.

Episcopo Suffraganeo, etiam in Dignitate in Cathedrali non constituto, competit incensatio terno ductu, absente Episcopo. N. 4273 ad 2. die 10. Decembris 1757.

Vd. *Episcop. titul.* (incensatio; decr. n. 5000) Suffraganeo Episcopo celebranti coram Episcopo (Archiepiscopo Elboren.) Pluviali induto nec non mitra redimito non deberi thurificationem cum triplici sed tantum cum dupl. ductu. N. 2971 die 24. Januarii 1682.

6) Nomen.

Dicitur *Suffraganeus* respectu Metropolitanus seu Archiepiscopi, cui subditur; cap. *Suffragantes* 11. de electione; cap. *Pastoralis* 11. de Offic. Ordinar. cap. Romana Ecclesia 1. de foro competent. in 6.; vel quia suffragium in ejus electione praestare consueverunt Episcopi vel quia suffragantur ipsi in officio episcopali, scilicet in consecrando alios Episcopos, in celebrando Concilia et hujusmodi. *Abbas* in cap.: *Suffraganeis* 11. de

election. num. 1. *Barbosa* loc. cit. num. 46.

7) Pallium.

Vd.: *Pallium* (Episcopis conc. etc.; functiones etc.)

8) Pontificalia exercens.

Vd.: *Pontificalia; Titul. Episc. Canon.* (Pontif. exerc. impedito etc., decr. *Mediolan.*)

Episcopus suffraganeus datus Episcopum facultate exercendi Pontificalia Officia in Civitate et Dioecesi de expresso consensu et licentia pro tempore existentis Episcopi, non potest eadem Pontificalia exercere, ut exercuit vivente Episcopo, post illius mortem Sede vacante et Capitulo contradicente.

S. Congr. Concil. in Constantiensi 4. Februarii 1645.

Dardanien. et Meten.

Episcopus Dardanien. in partibus infidelium et suffraganeus Ecclesiae Meten. petiit absolutionem ab excommunicatione et consequenter dispensationem ab irregularitate, ex eo quod exercuit pontificalia in aliena dioecesi de licentia Ordinarii, cum tamen in suis bullis hoc sibi esset prohibitum, excepta tantum dicta Ecclesia Metensi, et ideo petiit etiam indultum hoc faciendi etiam in futurum, quod cum ex narratis non appareat esse opus praedictis, quando facit de licentia ordinarii. Ideo Sacra Congregatio censuit nihil esse rescribendum, prout etiam anno praeterito ad similem ejusdem Episcopi petitionem responsum fuit, non liquere, cur egeat absolutione. Die 22. Augusti 1626.

(Anal. J. P. 1863 p. 191.)

9) Praecedentia.

a) Ante Dignit. et Canon.

Praecedentiam competere Episcopo

Suffraganeo Archiepiscopi Granat. super omnes Dignitates et Canonicos tam in Ecclesia et choro quam extra. N. 1377 die 10. Maji 1642; n. 4273 ad 1. die 10. Decembris 1757.

Episcopum Suffraganeum Canonicum, nec non Dignitates capitulares vel praebendas canonicas obtinentes juxta ordinum gradus vel promotionis ad ordinem pontificalem in Sessionibus locum occupare debere supra ceteras Dignitates et reliquos Canonicos ejusdem Ecclesiae; sed loco suae admissionis ad possessionem Dignitatum capitularium vel Canonicatum sententiam et Suffragium dare debere. Num. 1067 die 26. Januarii 1658.

Praecedentiam competere Episcopo suffr. licet Canonico in choro, processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis supra primam et alias Dignitates et Canonicos. N. 3572 die 11. Septembris 1700.

b) Inter Episcopos.

Constantinopolitana.

Eadem Sacra Congregatio de propaganda fide petiit declarari, cuinam debeatur praecedentia in districtu patriarchali, quando insimul conveniunt Archiepiscopus Edessenus titularis suffraganeus Patriarchae Constantinopolitani et Archiepiscopus Smyrnensis cum residentia in dicta provincia Constantinopolitana et primo promotus et S. Rituum Congregatio inclinavit praecedentiam deberi prius promoti prout idem alias in una Segobricen. 21. Maji 1609 declaravit, nempe inter Episcopos nullam aliam rationem habendam, quam temporis suae promotionis ad Episcopatum. Verum quia super hoc auditur, Sacram Congregationem Concilii et ipsam declarasse fuit dictum, quod videatur dicta reso-

lutio Congregationis Concilii et transmittatur. Die 27. Martii 1628.

(Anal. J. P. 1863 pag. 203.)

Vd.: *Episcop.* (praeced.)

(Poloniae.)

Illmus D. Cardinalis sanctae Crucis, nuntius Sanctissimi apud regem Poloniae, literis suis ad Sacram Congregationem de Propaganda fide directis exposuit, controversiam saepe oriri inter suffraganeos Episcoporum latinorum et Episcopos graecos circa praecedentiam inter ipsos, cupiens resolvi, quid agendum in casu contingenti. Et literis Nuntii de ordine Sacrae Congregationis de propaganda fide ad hanc Sacram Congregationem transmissis, eadem Sacra Rituum Congregatio mandavit scribi Nuntio apostolico prout alias fuit resolutum in hac Sacra Congregatione circa hanc materiam, nempe, inter Episcopos nullam aliam rationem habendam quam temporis seu promotionis ad Episcopatum. Die 16. Februarii 1630.

(Anal. J. P. 1863 p. 219.)

10) Ubi sumit paramenta.

Ad dub.: An Suffrag. Veliternen. occasione functionum episcopaliu sol. teneatur se parare in Sacristia vel potius possit paramenta sumere ab altari vel in faldistorio?

S. C. resp.: Si accedat cum cappa, in faldistorio, secus in Sacristia. Num. 3490 ad 1. die 6. Septembris 1698.

SUFFRAGIA.

1) Alleluja.

Vd.: *Suffr.* (de Patrono etc. eccles. non cath. decr. n. 4080.)

2) De ss. Apostolis.

Vd.: *Suffr.* (de s. Patrono etc. eccles. non cath. decr. n. 2749, 4749.) *SS. Petrus et Paul.* (Patroni principales Romae.)

3) De B. V. Maria.

Canonicis s. Mariae Scalae Colleg. civitatis Chieri Taurin. dioecesis sub invocatione ss. Assumptionis B. M. V. et cujus propterea festum solemne in eadem principaliter celebratur, non licuisse neque licere in suffragiis post laudes et vespas infra annum loco antiphonae: *S. Maria etc.* dicere antiphonas currentes ad *Benedictus* ad laud. et *Magnificat* ad vespas in die festivitatis ejusdem ss. Assumptionis cum sua octava, prout introductum fuisse expositum extitit in ipsa S. R. C.: ideoque non debere mutari antiphonam: *S. Maria etc.* Die 12. Januarii 1669. In Taur. B. M. V. est Patrona princip. totius Ord. Carmel.; dubitatur ergo: utrum PP. Carmelitae discalceati, quando recitatur off. de feria simul cum officio parvo B. M. V., debeant inter Suffr. SS. facere commem. de eadem non solum in contibus, quorum Ecclesiae sunt eidem Virgini dicatae quocunque titulo, sed etiam in omnibus conventibus Ordinis ratione praedicti specialissimi Patronatus?

S. C. resp.: Affirmative in omnibus. N. 4401 ad 21. die 16. Febr. 1781.

Ad dub.: An in Ecclesiis titularibus B. M. V., quando fit feriale officium, inter SS. Suffragia facienda sit commemoratio B. M. V. non obstante, quod in choro recitetur ejus Off. parvum?

S. C. resp.: Nunquam satis laudis; commemor. in honorem B. M. V. recitari posse et ideo laudabile ut in Ecclesiis eidem dicatis de ea fiat commemor. in off. currenti, etiamsi ejus off. parvum prius recitatum fuerit.

N. 2988 ad 7. die 13. Junii 1682; n. 231 die 10. Januarii 1604; n. 4378 ad 14. die 15. Junii 1776; n. 3502 die 6. Decembris 1698.

Ad dub.: An concessio ista de die

13. Junii 1682 sit *universalis*, ita ut ad omnes ecclesias etiam saecul. B. M. V. dicatas extendatur?

S. C. resp.: Metropolitanam Valentinae, cujus titularis est Assumptio B. M. V., non indigere dispensatione sed posse facere commemorationem.

N. 3038 ad 7. die 2. Octobris 1683; n. 3244 ad 2 die 11. Augusti 1691.

Pro Suffragio B. V. M. in Ecclesiis ei dicatis sufficere consuetam commemorationem: *S. Maria, succurre etc.* N. 3356 ad 2. die 23. Aprilis 1695.

In Suffrag. SS., quando ea facienda sunt pro commemoratione de B. M. V. Patrona Ecclesiae sufficit consuetu antiph.: *S. Maria etc.* N. 3221 ad 2. die 10. Junii 1690.

Stante titulo Ecclesiae B. M. V. assumptae sufficit antiphona: *S. Maria etc.* cum commemoratione ibi posita. Die 2. Aprilis 1667 ad 2.

Licet transferatur Purificatio B. M. V. a die 2. Februarii ac nondum recitatum sit Officium Purif. B. M. V., dici tamen debet in Suffragiis, quando fit de officio semid. vel simpl.: *Ora pro nobis etc.* et oratio: *Concede etc.* N. 3710 ad 1. die 14. Febr. 1705.

Vd.: *Officium parvum; Suffr.* (De Patrono etc. eccles. non cath. decr. n. 5141.)

4) De Cruce.

Commemorationem de cruce ordinariam sufficere in Ecclesiis dicatis in hon. s. Crucis pro commem. tituli Ecclesiae.

S. R. C. die 30. Martii 1621; sed non sufficit in Ecclesiis dicatis in honor. ss. Salvatoris pro commem. tituli Ecclesiae. S. R. C. die 23. Aug. 1704.

Vd.: *Suffr.* (de Patrono etc. eccles. non cath. decr. n. 3703 et decr. de die 1. Septembris 1607.)

5) Pro Defunctis.

Differentia inter Suffragia Defunct. et Sanctorum, vd.: *Off. def.* (Orationes, decr. n. 4687 nota ad finem); *De profundis.*

6) In dominicis privileg.

In dominicis privileg., in quibus occurrit commemoratio facienda de officio dupl., omitti non possunt Suffragia SS., Preces ad Primam et Completorium et tertia oratio in missa, ut fit in casu, quo hujusmodi dominicae occurrant infra aliquam octavam. N. 4378 ad 7. die 15. Junii 1776.

7) De Patrono vel Titulari.

a) Civitatis vel Loci.

Aliqui Sacerdotes, nulli adscripti Ecclesiae, pro commemoratione, quae praescribitur facienda de Patrono vel Titulari ecclesiae commemorationem faciunt de Patrono vel Titulari Cathedralis; alii vero Ecclesiae parochialis, sub qua degunt; quatenus praxis menti rubricarum est conformior?

S. C. resp.: Faciendam esse commem. Patroni civitatis vel loci. Num. 4897 ad 3. die 12. Septembris 1840.

Vd.: *Suffr.* (de Patrono etc. ecclesiae non cath. decr. n. 4909).

b) An et quae dicenda a Sacerdot. exercitantibus et una officium divin. recitantibus?

Singulis annis dimidia pars Cleri dioecesani ad exercitia spiritualia obeunda in seminarium convenit ibidemque in Ecclesia seminarii Officium divinum, non quidem modo aut ritu choralis, sed modo quasi privato una recitant. Quum autem varii sint Titulares diversarum Ecclesiarum, varia sunt etiam suffragia in semiduplicibus et infra dicenda; immo aliquando, nonnulli Presbyteri habent Officium peculiare pro sua Ecclesia recitandum, ob octavam Festi titularis nondum ab-

solutam. Quaeritur ergo, utrum ad servandam piam consuetudinem officium una recitandi, quae ad aedificationem exercitantium non minime confert, liceat in hoc casu Presbyteris omittere suffragium aut etiam Officium suae Ecclesiae speciale et se conformare Officio Ecclesiae seminarii, in quo recitant vel Ecclesiae cathedralis?

S. C. resp.: A. R. Episcopo supplicandum SSmo D. Papae pro assequendo ap. Indulto. Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2195.)

c) Dioecesis.

Ad dub.: An de Patrono dioecesis fieri potest commemoratio inter communia ss. Suffragia?

S. C. resp.: Posse, sed minime cogendos, qui recusaverint. N. 1789 die 8. Aprilis 1656.

In commemorationibus pro Suffragiis facienda non est commemoratio titularis Dioecesis vel Parochiae. N. 4815 ad X. 2. die 22. Sept. 1837.

d) Ecclesiae Cathedr.

De Titulari Ecclesiae cath. in genere commemoratio inter Suffragia solummodo habenda est per illos, qui sunt de gremio Ecclesiae, secus si esset simul *Patronus princip. Civitatis.*

Vd.: *Suffr.* (de Patr. civit.; eccles. non cathedr. decr. n. 4909).

e) Eccles. non Cathedr.

Cf.: *Patronus; Commem. Patroni; Titularis* (obligat. Regul; decr. n. 5042.) *Suffr.* (De Cruce).

Beneficiatos non teneri quotidie facere commemor. de Sancto seu ss. Titularibus utriusque beneficii simplicis. Die 2. Aprilis 1667 ad 1. In *Neriton.*

In suffragiis Sanctorum commem. Patroni Ecclesiae non debet praeponi commemorationi ss. Petri et Pauli apost., etiamsi est consuetudo immemorab. N. 2749 ad 1 die 28. Septembris 1675.

Vd.: *Patronus* (ejus nominatio etc.) decr. n. 4448. *A Cunctis* (comm. Patroni; decr. n. 4143.

Ad dubia 1: Utrum intra suffragia SS. fieri debeat a Regularibus commem. titularis suae Ecclesiae non obstante, quod etiam fiat de Patrono principali Religionis?

2: Utrum in Hispania teneantur Regulares facere commem. s. Jacobi ap. Patroni principalioris Regni, quando in Officio divino dicuntur Suffragia ss. et apud Regulares fit commem. Patroni principalis Religionis?

S. C. resp.: *Affirmative in omnibus.* N. 4401 ad 22. et 23. die 16. Febr. 1781.

In Regnis cathol. Regis celebratur festum s. Josephi Conf. ut Patroni omnium Regnorum Regis sub ritu dupl. I. cl. Quaeritur: utrum nominandus sit in commem. de Patronis, quae fit, quando Suffragia SS. occurrunt dicenda?

S. C. resp.: *De unico tantum Patrono principali* fieri commem., quando Suffragia SS. occurrunt dicenda. N. 3040 ad 7. die 20. Nov. 1683.

Ad dub.: An in Ecclesiis illorum Eremorum, quae *titulum habent SSmi Salvatoris*, in feriali Officio omitti debeat in suffragiis communibus commemoratio de Cruce vel e converso, cum aequipolleant vel potius facere possint utramque ad instar concessionis per hanc S. R. C. diebus 10. Januarii 1604 et iterum 13. Junii 1682*.)

*) Vd. *Suffr.* (B. M. V. decr. n. 2988 et 231.)

factae Ecclesiis titularibus B. M. V. non omittendi illius commemorationem inter Sanctorum suffragia, licet recitatum fuerit in Choro ejus Officium parvum?

Et S. eadem R. C., ad relationem Emmi et Rmi D. Card. Rubini, respondit: Non esse omittendas commemorationes sanctissimi Salvatoris, nec s. Crucis. N. 3703 ad 1. die 23. Augusti 1704.

Ad dub.: An debeant facere commemorationem de Patrono Ecclesiae, ubi morantur, cum in praeteritum nulla de eo, sed loco patroni de cruce tantum fecerint commemorationem, in memoriam institutionis eorum Ord., qui in die exaltationis s. Crucis institutus fuit?

S. C. resp.: *Faciendam esse commemorationem de Patrono Ecclesiae et de Cruce.* Die 1. Septembris 1607. *In Theatin.*

Ad relationem Capituli Cathedr. Carthagen: In commemorat. communibus sive suffragiis SSrum, dum fit de aliquo principali Sancto, cujus antiphonae habeant in fine Alleluja: utrum debeant recitari cum Alleluja in dictis commemorat.?

S. C. resp.: *Affirmative etiam in suffragiis seu commemorat. per annum, quoties hujusmodi antiphonae continent verba, quae expriment gaudium, victoriam et similia, alias negative.* N. 4080 ad 4. die 29. Novembris 1738.

Commemorationi, quae in unaquaque civitate et dioecesi ex laudabili consuetudine, rubricarum dispositione fit Sanctorum suorum Patronorum principal. inter Suffragia Sanctorum post Laudes et Vesperas in divinis Officiis, quando commemorationes sive Suffragia Sanctorum recitantur, tum Romae tum alibi ubicunque ss. ap. Petrus et Paulus uti Patroni principales co-

luntur, satisfactum censetur per eam commemorationem ordinariam seu communem, quae fit eorundem in universa Ecclesia post commemorationem B. M. V. N. 4149 die 16. Octobris 1743.

Professores et Alumni seminarii tenentur ad Octavam Patronorum Ecclesiae annexae et debent de eis commemorat. facere in Suffragiis.

S. R. C. 27. Februarii 1847.

Vd.: *Infra decr. n. 5221.*

In Commemorationibus communibus seu Suffragiis Sanctorum in Breviario rom. legitur sequens rubrica post commemorationem ss. ap. Petri et Pauli: *De Patrono vel titulari Ecclesiae fiant commemorationes praedictae pro dignitate illius.* Sed quum Fratres dictae Congr. ss. Cordium Jesu et Mariae Dioeces. Chalcedon. s. Ordinibus initiati addunt in Suffragiis commemorationem de ss. Corde Jesu et de s. Josepho Patrono peculiari ejusdem Instituti 1. Tenentur ex rubrica citata ad aliam commemorationem aliqujus Patroni sive Patroni principalis loci sive titularis Ecclesiae cath. sive Protectoris Civitatis. 2. Similiter in Oratione *A cunctis* quum subjungi debeat nomen Patroni vel titularis Ecclesiae nominibus ss. Apostolorum in his vocibus *atque Beato N.*, tenentur ad addendum nomen vel Patroni principalis loci vel titularis Ecclesiae cath. vel Protectoris Civitatis, quum jam in praedicta Oratione praemittant Apostolis nomen s. Josephi Patroni totius Congreg. ? 3. Possuntne praeterea in oratione *A cunctis* subjungere nomen Patroni Capellae propriae, si habeat?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit: „Quoad *primam* quaestionem tenentur ad commemorationem Patroni vel Titularis ut supra. Quoad *secundam* quaestionem, ut ad proximam. Quoad *tertiam*, Negative.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 4909 ad 3. die 12. Sept. 1840.

Ad dub.: Regulares translati de uno Monasterio ad aliud remanente vero proprietate prioris loci apud ipsos, debentne recitare Officia s. titularis illius prioris Ecclesiae et Dicationis sub ritu dupl. I. Cl. cum Oct.? Et an in Suffragiis Sanctorum debeant addere commemorationem illius s. Titularis?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit: „In casu non teneri.“

Atque ita declaravit, definivit servarique praecipit. N. 5042 ad 3. die 23. Maji 1846.

Vapincen.

Quum Sacerdos Borel Cath. Vapincen. Eccl. Canonicus ac in praesentiarum Curiae illius Ep. Vicarius Gen. R. C. humillimis precibus rogavit, ut declarare dignaretur sequentia duo dubia, nimirum:

1. An quoties in divino Officio locum habent commemorationes communes seu Suffragia Sanctorum, fieri debeat commemoratio de Patrono loci? an de Titulari Ecclesiae? an de utroque?

2. An in Ecclesia ubi B. M. V. est Titularis, sufficiat commemoratio ipsius communis vel potius fieri etiam de peculiari Titulo, sub quo Ecclesia Deo dicata fuit in honorem ipsius Deiparae? vel saltem hoc in casu, an addenda sit commemoratio s. Patroni loci?

Et S. eadem C. ad Quirinale sub signata die coadunata in ordinariis Committis ad relationem mei subscripti Secretarii utriusque dubio satisfaciendum censuit per generale responsum: *Serventur rubricae et decreta.* Quum enim in Brev. rom. rubricis titulo XXXV. habeatur quod facienda sit commemoratio de Titulari vel Patrono Ecclesiae, liquido apparet nil faciendum de Patrono Loci, nisi in casu, quod insimul sit Ecclesiae Titularis; quod pluries S. ipsa Congr. definivit ac praesertim de

anno 1690 IV. Id. Jun. in una Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia ad dub. III., postquam ad dub. II. declaraverat, quod pro B. M. V. Titulari, quocumque demum sub speciali Titulo Eccl. Deo in honorem B. M. V. dicata sit, sufficiat commemoratio communis ante Completorium post Vesperas Sabbati in eodem Brev. assignata. Quae quidem commemoratio communis Deiparae sufficit etiam, quando Eccl. nullum alium Sanctum in Contitularem habet, nam Patrono loci neque hoc in casu instituenda est commemoratio.

Atque ita decernere rata est et declarare. N. 5141. Die 23. Septembris 1848.

Festum Corporis Christi est Festum patronale Capellae majoris Seminarii Briocensis omnibus patentis fidelibus, in qua Missa sollemnis celebratur et Vesperae solemniter cantantur in omnibus dominicis et diebus festivis seu festivitatis; aliunde festum s. Brioci et festum Titularis, nec non Patroni Urbis et Dioecesis Briocensis. Igitur quaeritur: 1. Utrum Professores, nec non Seminaristae, in majoribus constituti Ordinibus, teneantur ad commemorationem festi Corporis Christi inter Suffragia ad Vesperas et Laudes in diebus semiduplicibus; et infra quaeritur: 2. Utrum iidem teneantur inter eadem Suffragia ad commemorationem s. Brioci Patroni et titularis Urbis et Dioecesis Briocensis?

S. eadem C. . . respondendum censuit: „Quoad primam quaestionem Affirmative, si agatur de Ecclesia publica; quoad secundam quaestionem Affirmative.“

Atque ita rescripsit. N. 5224 ad 6. Die 21. Julii 1855.

f) Ordinis.

Moniales ss. Visitationis teneri in recitatione Officii soliti commemora-

tionem s. Antistitis (s. Francisci Salsitii) facere juxta rubr. 35. de commem. communibus et Suffragiis.

N. 2425 ad 6. die 19. Nov. 1667. Vd.: *Suffr.* (de s. Patrono etc. eccl. non cathedr. decr. n. 4401, 4909.)

8) Non sunt omittenda.

Ad dub.: An, si contingat fieri officium semid. in vigil. festi omnium SS., non obstante commemoratione vigiliae, dici debeant Suffragia comm. in laudibus, an vero sint omittenda?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. N. 3827 ad 1. die 21. Junii 1710.

Vd.: *Suffr.* (in dom. privil.)

9) Sunt omittenda infra octavas

Vd.: *Suffr.* (in dom. privil.)

10) Parochiae.

Vd.: *Suffr.* (De Patrono etc. Dioecesis; de Patrono etc. civit.)

11) Recitationis modus.

Ad dub.: An in Feriis Quadrag., quatuor Temporum et Vigiliarum praeter preces feriales in Choro dicendas flexis genibus, etiam commemorationes Sanctorum seu Suffragia dicendae sint flexis genibus?

Et S. eadem Congr. respondendum censuit: „Affirmative.“

Atque ita rescribere censuit et declarare. N. 5152 ad 1. die 29. Martii 1851.

SUFFRAGIUM.

(Denominatio.)

Suffragium dicitur a suffragando seu auxiliando. Sic ex s. Thoma in 4. dist. 45. notat Sylvester in summa verb. Suffragium n. 1. Suffragium dupliciter accipitur. Primo, pro voto, quod in electionibus ad officia et dignitates dari solet et de Suffragio sic

accepto satis constat ex dictis sub verb. Electio. Secundo pro auxilio seu adjutorio spirituali, quo unus fidelis alterum adjuvat ad obtinendam a Deo remissionem poenae temporalis vel aliud simile, de quo suffragio sic sumpto hic sermo. Unde suffragium sic acceptum, est auxilium seu adjutorium spirituale, quod unus fidelis alteri praebet ad consequendam a Deo poenae temporalis remissionem.

SULAMITIS VEL SUNAMITIS.

Vd.: *Antiph.* 3. in 1. n. etc.

SUMPTIO.

1) SS. Hostiae post reposit. SSmi.

Vd.: *Instructio Clement.* §. XXXI. 24.; SS. Sacramentum (renovatio.)

2) SS. Hostiae veteris.

Vd.: SS. Sacramentum (Renovatio decr. n. 4623).

3) Hostiae dubie consecratae.

Vd.: SS. Sacr. Euchar. (particulae dubie consecratae.)

4) SS. Sanguinis.

a) Adoratio.

Ad dub.: An Sacerdos post sumptionem pretiosissimi Sanguinis debeat parumper immemorari in adoratione, prout fit post sumptionem sacrae Hostiae?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit: „Serventur Rubricae.“

Atque ita rescripsit, die 24. Septembris 1842. N. 4950 ad 2.

b) Cum Fistula.

Genuflesso ai sacri piedi della Santità Vostra il Sacerdote Simone Percovich Canonico Decano dell' insigne Capitolo di San Girolamo degl' Illirici

in Roma, devotamente espone, che da molti anni trovasi affetto da un' artride dorsale, il che viene chiaramente provato dal certificato del medico e chirurgo curanti, si é nell' avanzata sua età di anni 65 reso quasi impotente a consumare il Preziosissimo Sangue Eucharistico a motivo dell' incurvatura del collo, che non può alzare, nè girare per alcun verso, non ostante un calice convesso appositamente fattogli. Presso un' impedimento si evidentemente fisico, obbliga in stretta coscienza l'umile Oratore per la debita riverenza di un tanto Sacramento, di ricorrere alla somma paterna clemenza della Santità Vostra per supplicarla della special grazia di poter usare del cannellucio assorbente nella sacra Consumazione. Che ec. „SSmus D. N. Pius Papa IX. referente me subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne commisit Emmo Card. Urbis Vicario, ut quatenus Preces veritate nitantur et Orator valeat ex propria conditione Indultum Oratorii privati assequi, eidem facultatem tribuat in ipso Oratorio tantum Sacrum faciendi cum usu fistulae pro sumptione Calicis; constituto tamen prius per legitimum documentum et experimentum quod nihil inde vel indecentiae vel periculi oriri possit.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. N. 5055 die 20. Novembris 1846.

SUPERIOR ORDINIS.

Vd.: *Regulares* (Officium; praecipue decr. n. 5023).

SUPPEDANEUM.

(Vicarii gen.)

Lauden.

Sub memoriali Provicario contra Capitulum. Suppedaneum Vicario non licere, de aliis videatur in proxima.